



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes,
Soliloquia et Manuale**

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De Regno cælorum, 8

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

conspicitur; & hoc vitæ cibo, sine defectu, mens intuentium satiatur; vident semper, & videre desiderant; sine anxietate desiderant, & sine fastidio satiantur.

2. Vbi verus Sol justitiæ mira suæ pulchritudinis visione omnes reficit: & ita universos cœlestis patriæ cives illuminat, ut luceant ipsi: lumen videlicet illuminatum per divinum lumen, illuminans ultra omnem Solis nostri splendorem, atque cunctarum stellarum claritatem: Immortali adherentes Deitati, ac per hoc immortales & incorruptibiles facti, juxta promissionem Domini Salvatoris: Pater, quos dedisti mihi, volo ut ubi ego sum, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam, ut omnes unum sint, sicut tu Pater in me, & ego in te, & ipsi in nobis unum sint.

CAPVT VIII.

De Regno cœlorum.

1. **R**egnum cœlorum, regnum foelicissimum, regnum carens morte, & vacans sine; cui nulla tempora succedunt per ævum. Vbi continuus sine nocte dies, nescit habere tempus; ubi victor miles post laborem, donis ineffabilibus cumulatur, nobile perpetua caput amplectente corona.

2. Vtinam remissa peccatorum mole me ultimum servorum Christi, juberet divina pietas hanc carnis sarcinam deponere; ut in suæ civitatis gaudia æterna repausandus transirem, sanctissimis supernorum choris in-

O

teref-

teressem, cum beatissimis spiritibus gloriae conditoris assisterem, praesentem Dei vultum cernerem, nullo mortis metu tangerer, de perpetuae immortalitatis incorruptione securus gauderem, & scienti omnia conjunctus omnem ignorantiae caecitatem amitterem: terrena cuncta parvipenderem, convallem lachrymarum istam intueri vel reminisci ulterius non dignarer; ubi vita laboriosa, vita corruptibilis, vita omni amaritudine plena, vita domina malorum, ancilla inferorum.

3. Quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exsiccant, aëra morbidant, escae inflant, jejunia macerant, joci solvunt, tristitia consumunt, sollicitudo coarctat, securitas hebetat, divitiae jactant, paupertas dejicit, juvenus extollit, senectus incurvat, infirmitas frangit, moeror deprimit; diabolus insidiatur, mundus adulatur, caro deletatur; anima excacatur, totus homo conturbatur. Et his tot & tantis malis mors furibunda succedit; vanisque gaudiis ita finem imponit, ut cum esse desierint, nec fuisse putentur.

C A P V T IX.

Quomodo post nimios ploratus maestam animam consolatur Deus.

1. **S**ed quas laudes, quasve gratiarum actiones, tibi referre valeamus, Deus noster; qui nos etiam inter has tantas mortalitatis nostrae arumnas non desinas consolari mira visitatione gratiae tuae? Ecce me miserum